

aliquod meritum de condigno augmenti gratiæ dantur vel offeruntur, probabile est concomitanter cadere sub idem meritum de condigno augmenti gratiæ, nam qui meretur de condigno aliquam formam, meretur quicquid connaturaliter sequitur ex tali forma, vel ei connaturaliter debetur, sicut supra de augmento omnium donorum et virtutum dicebamus; sed hæc auxilia necessaria debentur gratiæ et cuilibet gradui ejus; ergo qui meretur de condigno gratiæ augmentum, consequenter etiam, et eodem modo hæc auxilia meretur. Neque contra hoc obstat ratio facta, quia hæc auxilia dantur ut principia subsequentium operationum, quia dantur ut principia actualia connexa priori principio habituali, et quia illud principium, saltem quoad augmentum, est terminus prioris meriti, ideo etiam illa auxilia sub hac ratione possunt etiam esse terminus proximus, vel (ut ita dicam) conterminus præcedentis meriti de condigno. Et utraque pars confirmatur optimo Augustini testimonio, enarration. in Psal., circa illa verba: *Justum auxilium meum a Domino*, ubi ait hæc esse verba hominis justificati, et loqui de auxilio, quo vita gratiæ conservatur. Et de conservatione peccatoris subdit: *Ibi misericors auxilium, quia nullum habet meritum peccator. Hic autem justum est auxilium, quia jam justo tribuitur.*

28. *Objectioni respondetur.* — Dices: ergo potest homo mereri de condigno, non tantum auxilium excitans necessarium, sed etiam concomitantem concursum, quia etiam est necessarium auxilium. Aliqui formidant hoc concedere, sed non video causam. Utrumque ergo admitto de sufficiente intellectum, et consequenter de concursu tantum in actu primo sub conditione, si per hominem non steterit, quia ut sic est necessarius, et ordinis gratiæ, eique connaturalis. Sed dices rursus: ergo potest justus per unum actum bonum mereri de condigno habere alium, quia qui meretur auxilium ad aliquem actum, meretur ipsum actum. Respondeo: posset non esse hoc magnum inconveniens, quia ipsi actus meritorii dicuntur a Patribus esse dona Dei; ergo non est inconveniens quod unus sit donum datum in præmium alterius. Sed licet hoc in merito de congruo locum habeat, ut infra dicam, in merito de condigno non est necessarium, quia ad merendum sequentem actum, oportet mereri non solum auxilium sufficiens, sed etiam congruum, sine quo actus non fiet; illud autem auxilium non cadit sub meritum

de condigno, ut dixi, et ideo illa secunda sequela neganda est.

29. *Deinde respondetur quoad auxilia utilia tantum.* — De posterioribus vero auxiliis sufficientibus, quæ simpliciter necessaria non sunt, sed Deus pro suo beneplacito copiose aliquibus confert, ut non solum possint, sed etiam facilius et melius possint perseverare et bene operari, si velint, absolute dicendum existimo non cadere sub meritum de condigno. Ratio est supra tacta in dicto argumento tertio, cujus sequelam quoad hanc partem admittimus. Quia talia auxilia non necessaria non sunt per se connexa cum habituali gratia, nec cum augmento illius; ergo non comparantur ullo modo ad præcedens meritum, ut terminus ejus, sed tantum sunt principia quædam aliorum actuum subsequentium, quia non sunt per se connexi cum præcedentibus, ratione ipsorum, et ratione augmenti gratiæ, quod merentur. Confirmatur ac declaratur, quia primus actus, verbi gratia, factus post primam justificationem, per se primo et adæquate solum meretur augmentum gratiæ et gloriæ, cum his quæ per se illud consequuntur, vel ratione illius debentur; ergo si aliquid amplius datur ex divino beneplacito, illud est extra meritum de condigno; cujus signum evidens est, quia non omni, merenti augmentum gratiæ de condigno, dantur illa copiosiora auxilia actualia; et nihilominus omnes recipiunt condignam mercedem; ergo signum est talia auxilia non dari ex merito de condigno. Denique tale meritum nec in ipsa rei natura, nec in extrinseca Dei ordinatione, aut lege, de qua per revelationem, vel per alium modum probabilem nobis constet fundari potest; ergo asserendum non est.

30. *Contra proximam doctrinam.* — Contra hoc vero objici potest, quia inter hæc auxilia gratiæ computantur etiam bona temporalia, quatenus dantur cum habitudine ad vitam æternam, vel quatenus interdum ad illam consequendam utilia sunt; sed justus possunt mereri de condigno hæc bona externa, quatenus utilia sunt ad vitam æternam; ergo a fortiori poterunt mereri auxilia interna, etiam si necessaria non sint, sed tantum utilia. Minor probatur ex D. Thoma, dicta quæst. 114, ubi expresse docet, licet justus non mereantur proprie ac simpliciter bona temporalia, absolute et secundum se spectata, nihilominus mereri illa, *ut sunt utilia ad opera virtutum, quibus ducimur in vitam æternam.* Et videtur

aperte loqui de merito de condigno; tum quia dicit *directe et simpliciter cadere sub meritum*; tum etiam quia addit comparisonem, dicens: *Sicut augmentum gratiæ, et omnia illa quibus homo juvatur ad perveniendum in beatitudinem post primam gratiam*; tum denique quia addit hæc bona secundum se spectata cadere sub meritum secundum quid, quod est meritum de congruo. Et potest hoc confirmari, quia hæc temporalia bona, ut ad spiritualia conferunt, ad spiritualem ordinem elevantur, et hac ratione proportionem habent cum supernaturali merito, et sub eodem respectu promissa videntur, Psal. 33: *Inquirentes autem Dominum, non deficient omni bono*; Matth. 6: *Querite primum regnum Dei, et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis*; 1 ad Timoth. 4: *Promissionem habens vite quæ nunc est et futura*; ergo nihil ibi deest ad meritum de condigno.

31. *Responsio.* — Ad objectionem respondeo, concedendo idem sentiendum esse de auxiliis externis quod de internis, idemque de merito honorum temporalium, quatenus inter externa gratiæ auxilia computantur, quod de cæteris auxiliis; nam sine dubio eadem est ratio, ut argumentum probat. Quapropter eadem distinctione utendum est de temporalibus bonis, vel simpliciter necessariis ad perseverandum in gratia, vel de conducentibus et juvantibus ad id facilius, vel cum minori periculo præstandum. Et de prioribus, si talis casus accidere possit, concedo posse cadere sub meritum de condigno; de posterioribus autem nego, sed ad summum de congruo, ut postea dicam. Utrumque satis probatur ex dicta paritate rationis. Dixi autem: *Si talis casus accidere possit*, quia vix cogitari potest occasio, in qua temporalia bona necessaria sint ad perseverandum in gratia, cum ad hoc sola voluntas sufficiat, quando ex defectu temporalium honorum impotentia intercedit. Dices: quamvis in re ipsa, et (ut ita dicam) in sensu diviso non inveniatur talis necessitas, nihilominus in præscientia Dei et in sensu composito, potest interdum esse necessarium temporale subsidium alicui justo, ne cadat, vel ne in æternum pereat; quia Deus prævidit illum occasione paupertatis peccaturum, nisi ei subveniatur, vel per impatientiam aut diffidentiam casurum, si ægrotet, doleat, vel aliter affligatur. Respondeo hanc necessitatem non satis esse ut quis mereatur de condigno temporalia auxilia, quia illa non est necessitas simpliciter, sed secundum quid,

nec provenit ex impotentia, sed ex voluntate, cujus futuram determinationem Deus prænovit, nec obligari potest ex justitia, ut illam non permittat, ut jam dixi, et aliis modis potest dare auxilia sufficientia ad non peccandum in illis eventibus, nec tenetur dare efficacia tanquam debita ex merito de condigno, ut etiam dictum est. Unde videtur absolute concludi temporalia auxilia, etiam in ordine ad spiritualem salutem, nunquam cadere sub meritum de condigno.

32. *Ad locum D. Thomæ in ipsa objectione num. 30.* — Ad D. Thomam respondeo, illum tam in dicto articulo quam in aliis, indistincte loqui de merito vero et proprio, et sub illo meritum de condigno et de congruo comprehendere, atque illud meritum sic abstracte sumptum a merito metaphorico, et similitudinario, ut ita dicam, distinguere. Quod patet manifeste ex illo articulo 10, quatenus dicit temporalia bona secundum se spectata tantum esse bona secundum quid, et ideo non cadere sub meritum simpliciter. Quod de merito de condigno est certissimum, et ab omnibus receptum. Existimo autem etiam esse verum de merito de congruo, ut infra de illo tractando ostendam, et inde a fortiori meritum de condigno ab illis bonis sic spectatis excludetur. Unde addit D. Thomas solum posse cadere sub merito secundum quid. Explicando autem hoc meritum secundum quid, dicit esse posse in operibus hominum iniquorum aut infidelium, etiam prava intentione factis. De quo merito supra ostendimus non esse verum, sed ita per analogiam metaphoricum appellari, quia Deus ita videtur pro his operibus aliquem temporalem mercedem retribuere, ac si illam mererentur, cum tamen non propter verum meritum, sed propter alias rationes suæ providentiæ id faciat. Ergo sub merito huic opposito comprehendit D. Thomas omne verum meritum, sive sit de congruo, sive de condigno, nam etiam illud vocat *meritum simpliciter*, quod respective seu comparatione alterius intelligendum est. Et simili modo accipienda est comparatio cum augmento gratiæ, et aliis auxiliis, quæ ad salutem juvant. Nam vel sumenda est comparatio in generali ratione veri meriti, non in ejus perfectione; vel sumenda est cum partitione accommodata, nam etiam in aliis internis seu spiritualibus auxiliis, pro ratione necessitatis vel utilitatis, congruum vel condignum auxilium intervenire potest. Idem ergo est cum proportione in temporalibus, ut

ad spiritualia ordinantur. Afirmatio namque D. Thomæ in hac parte indifferens et generalis est, et ideo applicanda est juxta materiæ capacitatem; nam si habitudo hæc temporalium bonorum ad spiritualia tantum sit pura utilitas, et ad melius esse, cadere poterunt sub merito de congruo, non de condigno. Si autem fingatur casus in quo illa utilitas in absolutam necessitatem transeat, tunc tale meritum de condigno admitti poterit. Vix tamen (ut dixi) talis casus in homine jam justificato cogitari potest, nam in impio et infideli fortasse non est impossibilis, quod nunc non refert.

33. *Ad confirmationem ex ratione in eodem num. 30.* — Atque eodem modo expedienda est ratio inducta; nam, licet hæc temporalia subsidia sub illo respectu spiritualia reputentur, non tamen omnia auxilia spiritualia cadunt sub merito de condigno, sed pro ratione necessitatis et connexionis quasi connaturalis, quam habent cum habituali gratia, vel augmento ejus, ut declaratum est; ergo majori ratione id servandum est in temporalibus subsidiis, etiam sub illo respectu consideratis. Eodemque modo accipiendæ sunt generales promissiones horum bonorum, quantum in allegatis testimoniis non semper propriam promissionem intelligere necessarium sit, sed exactam ac sapientem Dei providentiam, quæ semper præsto est timentibus ac diligentibus ipsum, et ideo dicitur eis adjicere hæc bona temporalia, quantum illis expedit, non ex promissione, aut riguroso merito, sed ex æquissima providentia. Vide D. Thomam, Matthæi sexto, et Augustinum, libro secundo de Sermone Domini in mont., capitul. 24, et super dicta verba Psalmi trigesimi tertii, quæ de bonis spiritualibus intelligit, vel de bono temporali ad vitam necessario. Eodem modo ultimam promissionem de vita longæva secundum quamdam congruentiam, et sub eadem conditione intelligit divus Thomas 2. 2, quæstione 114, articulo 5 ad quartum, et lect. 2 in 1 Timoth. quarto. Ubi videndus est Salmer., disput. 13.

34. *Ad argumentum primum in n. 1 quid respondeat Cajetanus ex D. Thoma.* — Superest ut ad rationes dubitandi respondeamus. Petitur autem in prima earum, an possit justus de condigno mereri physicam conservationem gratiæ suæ in perpetuum. Quod dubium virtute attingit Cajetanus in dicto articulo nono, et in partem negantem inclinatur, et juxta illam, rationem divi Thomæ interpreta-

tur, et in virtute ad hoc probandum illam inducit. Nam in hunc modum argumentatur. Conservatio gratiæ est principium omnis meriti de condigno; sed principium meriti non cadit sub meritum; ergo nec illa gratiæ conservatio potest sub meritum de condigno cadere. Major probat hoc modo: conservatio gratiæ nihil aliud est quam productio gratiæ continuata seu non interrupta, nullum habens terminum novum; sed productio gratiæ est principium omnis meriti de condigno; ergo et conservatio est principium omnis ejusmodi meriti: ergo non magis potest conservatio gratiæ cadere sub meritum de condigno, quam ejusdem productio. Et confirmatur, quia gratia, ut conservata, non est terminus sui ipsius ut productæ, sed est una et eadem, quia gratia non terminatur aliter conservationem sui, sed eodem modo se habens; ergo, ut conservata, non potest cadere sub meritum de condigno ab illa procedens, quia id quod cadit sub meritum de condigno, debet esse terminus respectu gratiæ, quæ est talis meriti principium. At enim si hic discursus et sensus rationis D. Thomæ legitimus est, etiam probat non posse perseverantiam patriæ cadere sub meritum de condigno, quia etiam illa perseverantia nihil aliud erit quam conservatio gratiæ; quæ conservatio, etiam ut in patria perseverat, non est nisi productio continuata.

35. *Vera responsio imprimis quoad conservationem gratiæ absolute.* — Dico ergo dupliciter intelligi posse mereri conservationem gratiæ perpetuam, quam physicam claritatis gratia appellamus: uno modo absolute, et absque subintellecta conditione; alio modo sub conditione: Si homo non posuerit obicem, seu: Quantum est ex parte Dei. Priori modo, dico non posse justum mereri perpetuam conservationem gratiæ pro statu viæ, licet possit illam mereri pro statu patriæ. Prior pars probatur ex dictis, quia ad merendam conservationem gratiæ illo modo, id est, absolute, necesse est mereri de condigno, ut pro toto statu viæ non apponatur impedimentum conservationi gratiæ; sed hoc non cadit sub tale meritum; ergo. Probatur minor, quia illud esset mereri de condigno perseverantiæ donum, quod fieri non potest, ut ostensum est. Posterior pars sumitur ex divo Thoma, dicente mereri justum de condigno perseverantiam patriæ; nam ad perseverantiam requiritur per se primo physica gratiæ conservatio; ergo hanc pro statu patriæ justi

merentur. Dicuntur autem illam mereri absolute, quia merentur visionem beatam, cum qua impossibile est ponere obicem conservationi gratiæ, et ita merentur justipervenire ad statum, in quo non possint ponere obicem conservationi gratiæ; et ita merentur perseverantiam patriæ, et cum illa conservationem gratiæ absolute perpetuam. Quomodo autem contra hoc non obstet Cajetani discursus, statim dicam.

36. *Deinde quoad conservationem sub conditione.* — *Proxima responsio imprimis repugnantiam non continet.* — At vero de posteriori modo merendi de condigno conservationem physicam gratiæ sub conditione: Si homo non ponat obicem, seu, quantum est ex parte Dei, dico posse hoc modo conservationem gratiæ cadere sub meritum de condigno hominis justipervenire ad statum, et de facto ita cadere, vel immediate, vel saltem mediate, seu ratione augmenti, vel visionis beatæ. Declaratur et probatur imprimis, quia ex hoc merito nulla sequitur repugnantia, quia, illo non obstante, potest homo permitti cadere in peccatum, ut per se patet. Deinde huic merito non obstat identitas physica productionis et conservationis, quam expendit Cajetanus, quia, illa identitate non obstante, sunt duo beneficia divina, moraliter valde distincta, et ideo, licet unum non cadat sub meritum, potest cadere aliud. Item etiam physice loquendo, licet illa duo sint realiter et absolute idem, tamen formaliter et secundum respectivam considerationem distinguuntur; nam conservatio coexistit multo temporis, cui non coexistit productio, et habet virtualiter durationem quamdam quasi successivam quam non habet productio. Quod autem hæc distinctio sufficiat ad meritum conservationis, sine merito productionis, probatur exemplis, nam productio non debetur rei antequam producat, quia nihil est; conservatio autem debetur rei seu gratiæ jam productæ, debito utique connaturalitatis, ratione cujus Deus ex lege ordinaria nulli rei negat influxum necessarium ut conservetur, nisi aliunde corrumpatur, quod de gratia superius diximus. Deinde illa distinctio sufficit ut perseverantia seu continuatio ejusdem actus sine ulla mutatione augeat meritum ipsiusmet actus, ut supra visum est; ergo sufficit ut gratia, ut conservata, possit esse terminus seu præmium alicujus meriti. Præterea qui est in gratia, per orationem sequentem potest conservationem

ejusdem gratiæ impetrare, licet illam non impetraverit, ut est evidens, quia potest pro conservatione orare, licet productionem non petierit, ut in parvulo baptizato et postea adulto manifestum est. Et eadem ratione, si gratias agat pro beneficio baptismi suscepto, per illum actum mereri poterit conservationem gratiæ saltem de congruo, ut est per se notum, cum tamen etiam in impetratione et merito congruo fieri non possit ut principium impetrationis aut meriti cadat sub eadem impetrationem; ergo eadem ratione est inter illa duo, productionem scilicet et conservationem, sufficiens distinctio moralis, ut una possit esse principium meriti, et alia terminus.

37. *Deinde de facto veram esse ostenditur.* — Supposita vero non repugnantia, probatur intercedere posse tale meritum respectu conservationis gratiæ semel productæ. Nam gratiæ jam productæ debetur conservatio ex parte Dei debito connaturalitatis fundato in ipsa gratia, ut jam producta; ergo eadem ratione potest eadem conservatio, eadem suppositione facta, dari debito justitiæ ratione alicujus actus ab eadem gratia producti vel informati; ergo ita de facto concedendum est. Probatur consequentia, quia illud præmium est maxime proportionatum tali merito, et fundatum non solum in promissione, sed etiam veluti in naturali lege et intrinseca conditione ipsius gratiæ, quæ suam conservationem maxime intendit, sicut et res cæteræ; ergo nihil deest ad verum meritum de condigno. Dixi autem: *Vel immediate, vel saltem mediate, etc.*, quia duobus modis potest hoc meritum intelligi. Unus est, si homo justus per suum primum actum meritorium de condigno, intelligatur etiam primum omnium mereri conservationem gratiæ infusæ ex parte Dei perpetuam, idque immediate, et per se, sive per illum actum aliquid aliud mereatur, sive non. Et hic modus nec repugnantiam involvit, nec magna probabilitate caret. Alter modus est, quia homo justus meretur de condigno gloriam, ut dicemus, et consequenter etiam meretur perpetuitatem gloriæ, saltem sub illa conditione, Si in gratia decesserit, quæ illi æquivalet, Si obicem non posuerit; non potest autem gloria esse perpetua, nisi gratia perpetuo conservetur; ergo necesse est ut, saltem mediate et ratione gloriæ, mereatur homo conservationem perpetuam sub eadem conditione. Simile est de gratiæ augmento, nam justus meretur de

condigno augmentum gratiæ, et consequenter meretur illud ut perpetuo duraturum et conservandum, quantum est ex parte Dei, nisi ipsemet peccando obicem conservationi apponat. Non potest autem conservari augmentum, nisi gratia ipsa conservetur; ergo consequenter meretur totius gratiæ conservationem sub eadem conditione. His ergo modis potest conservatio gratiæ sub meritum de condigno cadere.

38. *Ad Cajetanum in num. 34 allatum.*—*Ad secundum argumentum principale in jam memorato num. 1.*—*Ad tertium.*—Ratio autem in contrarium ex Cajetano sumpta ex dictis soluta relinquatur. Nec ratio D. Thomæ ita explicanda est, sed alio modo, quem jam tradidimus. Alia vero duo argumenta in principio posita ex dictis manent expedita. Nam in secundo argumento falsum est antecedens quod assumitur; ita enim ostensum est in actu meritorio non esse proportionem aut rationem illam merendi de condigno auxilia congrua, efficacia ad actus futuros. In tertio vero argumento, negari potest prima propositio assumpta; quia potissima ratio ob quam negamus meritum de condigno doni perseverantiæ, non est propter vitandum inconveniens illud de certitudine et securitate perseverantiæ, nam illud fortasse in rigore non sequitur, sed est propter alias rationes directe ostensivas, et propter alia incommoda vitanda, et propter communem auctoritatem, ut explicuimus. Deinde addi potest, licet non sequatur absoluta certitudo perseverandi in gratia, sequitur saltem hypothetica, nimirum, quod si justus habuit aliquos actus meritorios de condigno, potest esse securus et certus se perseveraturum, et consequenter sequitur tanta morali certitudine posse esse de sua perseverantia securum, quanta credit se aliquando fuisse justificatum, et aliquid de condigno apud Deum meruisse; hæc autem satis absurda sunt.

CAPUT XXVII.

UTRUM HOMO POSSIT DE CONDIGNO MERERI REPARATIONEM POST LAPSUM?

1. *Propositio quæstionis ejusque expositio.*—Tractatur hæc quæstio a D. Thoma, dicta q. 115, art. 7, facileque ex dictis in cap. præcedenti expediti potest. Perinde enim est quærere an justus possit de condigno reparationem post lapsum mereri, ac quærere

an possit mereri, ut, si peccaverit, efficaciter convertatur a Deo ad pœnitentiam, ut iterum justificetur. Ex dictis autem evidenter sequitur non posse dari tale meritum. Primo, quia magis est resuscitare mortuum quam conservare viventem; ergo si justus non potest absolute secundum mereri, minus poterit mereri primum. Secundo, quia in discursu præcedenti, ostensum est non posse justum mereri vocationem ad observanda in futurum præcepta, et vitanda peccata, nec omnia, nec aliqua; ergo multo minus poterit mereri, ut detur sibi postea vocatio efficax ad contritionem. Tertio, quia vel hoc meritum debet fundari in actibus quos justus facit, dum justus est vel in actibus quos post lapsum operatur. Hoc posterius facile rejicitur, quia illi actus jam non sunt ab homine grato, et ideo non possunt esse meritorii de condigno. Nec enim sufficit fuisse gratum, quia dignitas, quæ jam non est, non potest actus dignificare, præsertim cum obstet præsens peccatum. Neque etiam dici potest primum, quia priora merita per subsequens peccatum mortificantur, quam mortificationem D. Thomas vocavit interruptionem divinæ motionis, per quod cessant dubitationes Cajetani. Neque potest justus mereri ut non mortificetur, licet peccet, quia hoc necessario sequitur ex ipsa malitia et demerito. Quia (ut supra dixi) repugnat eum qui est in peccato mortali habere jus justitiæ coram Deo, ut supra dictum est; ergo postquam labitur in peccatum, non potest retinere jus justitiæ ad resurgendum, sed omnes justitiæ ejus non recordabuntur amplius, ut dicitur Ezechiel. 18, sub qua universali etiam hoc particulare comprehenditur. At tandem hoc confirmant omnia Scripturæ, Conciliorum et Patrum testimonia, quæ remissionem peccati mortalis dicunt fieri gratis, et ex misericordia, nam indifferenter loquuntur, sive nulla, sive pauca, sive multa merita præcesserint.

2. *Resolutio facta communis est.*—Est ergo certissima hæc resolutio, et ideo etiam est communis D. Thomæ, dicto art. 7, et ibi omnium; et Alens., 3 p., quæst. 61, memb. 5, art. 2, § 2; Gabriel in 2, d. 17, q. unic., art. 3, dub. 3, et ibi Dionysius Cister., q. unic., art. 1, concl. 5, qui optime id confirmat, tum quia justus non potest de condigno mereri ut, si peccaverit, vivat aliquo tempore post lapsum; tum etiam quia eo ipso quod justus peccat mortaliter, fit indignus vita æterna, et absolute dignus pœna æterna; ergo ex toto

rigore justitiæ potest statim hac pœna puniri, et nullo modo disponi iterum ad vitam æternam. Nam cum indignus sit illa, etiam est indignus omni præparatione ad illam, qualis per justificationem fit. Et hoc etiam supponunt omnes auctores, qui in hoc casu etiam meritum de congruo negant; imo etiam qui illud admittunt, supponunt non posse esse de condigno; utrosque vero referemus in fine hujus materiæ, tractantes de merito congrui, ubi difficultates utriusque merito communes expediemus.

3. *Objectio.*—Potest vero hic objici illud Pauli ad Hebræos 6: *Non est injustus Deus ut obliviscatur operis vestri, et dilectionis quam ostendistis in nomine ipsius, qui ministratis sanctis, et ministrastis.* Quæ verba ad comprobanda justorum merita allegat Concilium Tridentinum, et in eis loquitur Paulus ad fideles, qui prius justii fuerant, et bona opera ex charitate fecerant, et postea lapsi fuerant, et de illismet operibus ait non fore injustum Deum ut talium obsequiorum obliviscatur; ergo esset injustus Deus, nisi intuitu talium meritorum homines sic lapsos in gratiam suam revocaret; ergo illi hoc meruerunt de condigno. Et confirmatur ratione, quia opus bonum hominis justii etiam post lapsum manet meritorium vitæ æternæ; ergo etiam potest manere meritorium reparationis post lapsum. Consequentia probatur, quia plus videtur esse meritum vitæ æternæ durare cum peccato, quam meritum reparationis post lapsum.

4. *Solutio quorundam.*—*Legitima solutio.*—Ad verba Pauli respondent aliqui loqui Paulum ad Hebræos fideles et justos, qui, licet remisse et imperfecte viverent, nondum tamen justitia exciderant, sed in gratia et bonis operibus perseverabant, ut verbum illud de præsentii, *et ministratis*, indicat. Quam expositionem attigit Cajetanus et late defendit Ribera, et multum indicat Chrysostomus oration. 10, quem Theophylactus imitatur, expendens illa verba: *Confidimus autem de vobis*, etc., quæ expositio probabilis est, et illa supposita, cessat objectio. Nihilominus tamen admittimus loqui Paulum cum his qui, post statum justitiæ et bona opera in ipso facta, lapsi in peccato fuerant. Id enim et contextui magis consentaneum est, et a Concilio Tridentino supra non leviter insinuat, et docent Anselmus, D. Thomas et Glossæ ibi. Hoc ergo posito, advertere oportet duo genera operum Pau-

lum ibi commemorare, scilicet, præterita et præsentia, ut ostendunt illa verba, *ministratis, ministrastis*; et de præteritis etiam operibus dixerat: *Operis vestri, et dilectionis quam ostendistis in nomine ipsius.* Omisso autem pro nunc verbo præsentis temporis, *ministratis*, quod postea agentes de merito congruo expendemus, circa alia verba de præteritis operibus uno verbo respondeo, priora verba: *Non est injustus Deus, ut obliviscatur operis vestri, et dilectionis quam ostendistis*, habere imbibitam conditionem, *si resipiscatis, et pœnitentiam egeritis*, ut recte attigit Gratianus de Pœnitent., dist. 2, post cap. *Non est tam*, c. 29, § *Operis*, inquit: *Quasi diceret: Olim multa operati estis, pro quibus, si pœniteatis de malis, benefaciet vobis Deus.* Quæ verba ex Anselmo in illum locum sumpta videntur, nam in illo etiam leguntur et in Glossa. Hoc autem posito, respondet D. Thomas ibi, lectione tertia, loqui Paulum de justitia late, ut invenitur in merito de congruo, ut ipse ibi admittit in operibus præteritis factis in statu justitiæ ad resipiscendum postea de peccatis commissis. Sed de hoc merito postea videbimus, nam illi loco quoad hanc partem non recte adaptatur. Respondemus ergo Paulum non dicere fore injustum Deum, si justum post bona opera lapsum a peccato non revocat, sed fore injustum, ut obliviscatur operum hominis lapsi, ut licet convertatur et pœnitentiam agat, illa præterita opera non remuneret. Ac proinde vult Paulus ad justitiam Dei pertinere remunerare illa merita, si homo a peccato resipiscat, quamvis ipsam resipiscantiam et pœnitentiam tantum ex misericordia consequatur. Hæc enim duo repugnantia non sunt, nam priora merita non fuerunt extincta, sed mortificata et impedita per superveniens peccatum. Et quamvis illa non mereantur hujus impedimenti ablationem, sed ex nova Dei misericordia tollendum sit, nihilominus, illo gratis ablato, statim priora merita suam vim recuperant, et justitiam exercent, quia sub hac tantum conditione suum præmium meruerunt, videlicet, si homo in gratia decesserit, quæ impletur, etiamsi homo ex misericordia, et non ex justitia resurgat, ut latius in speciali disp. de Reviscentia meritor. tractavi.

5. *Instantia solvitur.*—Sed tunc instat altera objectio, ad quam facile respondetur opus factum ab homine in statu justitiæ, principio fuisse meritorium vitæ æternæ, et